

No. 2.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA,

DELINEANS:

DIAGNOSIN DIFFICILIOREM
MORBORUM QUORUNDAM
VENTRICULI,

QUAM,

CONSENSU AMPLISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI,

UT GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE


RITE CAPIAT,

LOCO CONSUETO

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR:

JOANN. GEORG. CAR. RIESENKAMPF,



LITERIS J. C. SCHÜNMANNI.

MDCCCLV.

2.

I m p r i m a t u r,

ea quidem sub conditione, ut, simulac dissertatio haec typis excusa sit et antequam divulgetur, septem exemplaria, quae secundum jussum supremum distribuenda sunt, administrationi Universitatis, cui censura librorum mandata est, tradantur.


Dorpati, d. x. Aprilis MDCCCXIV.

Dr. Daniel Georgius Balk,

Pathologiae, Semiotices et Therapiae P. P. O.
instituti medico-clinici, instituti, quod asphycticorum curam gerit, nec non collectionis pathologicae Director; a consiliis collegiorum etc.

Censor.

0



455 009

Praemittenda.

De signis fallacibus, quae morbos ventriculi quosdam comitantur eorumque diagnosin non tironibus modo, sed medicis etiam longo artis suae exercitio edoctis, perquam reddunt difficilem et ancipitem, verba facturus, libenter fateor, ut scopum mihi proposuerim, cui feliciter assequendo vires juvenis vix pares esse videntur. Equidem vereor, ne sint plures, qui me de audacia cupidineque gloriandi nimia objurgitant, vel quibus iactator vesanis forte videor, qui pennis Icaris per aërem vagatur, mox in terram delabendus ridiculus ales. Re autem alio modo considerata spero, fore iudices, qui, lance aequiori conatum iuvenile censentes, opprobriis propositum non vexabunt, quo pro tenuitate virium mearum periclitatus sum, ut e multis, quae in cognitione morborum adhuc dubia et fallacia reperiuntur, pauca saltem clariora reddam atque certiora. Quem quippe conatum cl. Balk, praeceptor venerandus excitavit, in exercitationibus clinicis, quas moderatur, dis-

centibus quotidie fere sedulo commendans, ut prae aliis curatissimam morborum diagnosis eruerent, in qua videlicet cardo medelae rationalis et bene gestae versatur. Nil profecto menti humanae ita est in optatis et deliciis, quam quod contingendo arduum videtur et impedimenta multa luctanti obicit. Impedimentis vero gravioribus ex omnibus medicinae partibus nulla magis est circumdata, quam morborum diagnosis, sub qua autem non in sensu angustiori Wichmanni (a) „artem morborum iam notorum et phaenomenis externis ita similibus, ut „facile aliquem in errorem inducere possint, a „se invicem characteribus certis et sagaciter notatis discernendorum“ intelligimus, sed sensu potius latiori Balkii, praeceptoris iam laudati — „summam omnium phaenomenorum, „quae de organo aut primitive, aut saltem prae „aliis adfecto (de sede morbi), de pathologico „mali characterem, de transitu ejus in alium characterem et de ejusdem modificationibus, ubi „aliae res in aegrotum influxum exseruerint, „medicum aut prorsus certiores faciant, aut „saltem ita, ut cum summa verisimilitudine de „hoc morbo iudicare possit“ — comprehendimus. Quibus impedimentis ars diagnostica in

a) Ideen zur Diagnostik. 1r Bd. Hannov. 1794. S. 5.

genere prematur, duobus abhinc annis commilitonum olim quisque meorum in dissertatione inaugurali (b) latius exposuit. Lectoribus, ut opinor, annuentibus haec transmittam, ne ab amico dicta repetam, omnes, qui summam impeditorum diagnoseos scire cuperent, ad opusculum citatum ablegans. Mei potius esse arbitror, ut singularia quaedam eaque specialia laudata dissertatione non peracta dinumerem, quae officium medici, morborum sedem naturamque veram detegendi, arduum reddunt.

Aetas infantiae tenerrimae, quae nimirum idearum quamvis simplicissimarum evolutione facultateque loquendi omnis caret, impedimenta diagnoseos praebet vix vincibilia. Signa e habitu, mimorum lusu, clamore, vigiliis et somno, excretionibus petita, unica sunt, quae status morborum praesentiam in genere quidem testantur, de sedibus autem, causis, forma malorum incertum reddunt iudicium nostrum et tantum opinabile. Qua non longe abhinc de re cl. Hufeland (c), medicorum nostratum inter principes unanimi suffragio nu-

b) Marnitz: Diss. de impediment. diagnos. atque viis, haec, quantum fieri potest, removendi. Dorpat. 1812.

c) Bemerkungen über die natürl. und inoculirten Blattern, verschied. Kinderkrankheit. u. s. w. Berl. 1798. III. Abtheil. I. Kapit.

merandus, conquestus est, qui gravitatis objecti causa omnes medicinam facientes quam religiosissime invitat, ut viribus allaborarent unitis, quo pars ista artis salutaris hucusque manca magis magisque perficiatur. Cl. S. G. Vogel (d) quidem e relationibus parentum et nutricis s. curatricis infantis multa, quae ad diagnosin meliorem spectant, sperare videtur, quem, ni fallimur ipsi, spes sua plerumque fallit. Parentum enim cura nimis anxia deficientia finget symptomata et mala, aut eorum, quae adsunt, saltem augebit numerum imaginemque atrocissimis depinget coloribus; praesentia contra phaenomena nutricum mercedis illecebris modo ad infantem ductarum, quin non raro stolidarum, fugiunt attentionem. Praeconceptas insuper et superstitiosas opiniones medicas fatuis addes iudiciis, quibus plebs, e qua nimirum hominum classe nutrices infantum plerique eliguntur, novaeque habebis rationes dubitandi, an foeminarum ejusmodi relationibus fides sit habenda. Libentius dubiis nostris calculum adicies, si mulierum Esthonorum, quae apud nos munere nutricum funguntur, stupiditatem miratus eris. Neque deest cl. Hufeland (e), quin relationibus nutricum diffidat.

d) Das Krankenexamen. Stendal 1796. S. 50.

e) l. c. S. 258.

Aliter res se non habet in stupidis et valde imperitis. Hi enim nec sensum quaestionis medicae etsi simplicissimae intelligunt, nec illi respondere valent ita, ut claram medicus inde desumere possit notionem. Quae objective modo sentiuntur, verbis describere omnino nesciunt; quin sedem doloris ipsam indicare dementia sua recusat, cum saepius de ventre infimo aut ventriculo conqueruntur, si superiores pectoris regiones dolent. Exempla hujus rei vidi millia apud Esthonos in clinicum universitatis, ut illis mederetur, receptos. Qua rerum diagnosticarum angustia cl. Balk discentibus semper praecipuit, jubendum esse ejusmodi aegrotis, ut locum adfectum digito indicarent, quo melius iste posthaec a medico tactu possit examinari.

Impedimenta non minus gravia in fatuis, amentia correptis, maniacis, febre delirantibus, verbo uno in omnibus, quorum sensorium incitamento morbozo validiori offenditur, medico occurrunt. Maniaci et delirio febrili decumbentes spem quidem admittunt, ut tempore remissionis studium diagnoseos forte melius succedat; saepe tamen et nunc talis sensorii debilitas, incitationis antecedentis pedissequa, remanet, quae spem hanc conceptam prorsus fallit, aut relationibus aegrotorum speciem induit saltém valde ambiguam.

Sexus denique sequior diagnosi obstacula interdum vix superabilia opponit. Verecundia male adhibita, animi intemperies (Spiel der Launen), sensibilitas nimia semperque mutabilis sexui huic propria et taciturnitas saepe pertinacissima impedimenta inter praecipua, de quibus sermo est, adduci possunt. Quae omnia artem methodumque investigandi singularem, addiscendo difficilem et longa modo exercitatione mentisque humanae studio ingeniosiori acquirendam exigunt, quae methodus, prout circumstantiae singulares urgent, multiplici ratione oportet moderetur (f). Galli hanc artem perquam congrue „savoir faire“ vocant.

Qui a medicis in morborum examine committuntur errores, diagnosin claram et definitam prorsus inpedientes, Marnitz (g) iam sat ample exposuit. Vitium, quod medicis junioribus plurimis proprium est et obnoxium, in eo potissimum erit quaerendum, ut, tum genio aetatis suae adhuc vivaciore impulsus, tum cognitione rerum omnium, quae investigandae sunt et aestimandae, ob experientiae et lectionis multae inopiam, adhuc non valde instituti, tum denique, quod haesi-

f) Vogel l. c. S. 57 ff.

g) Diss. citat. passim.

tantes videri nolint, temporis sibi tantum non sumant, ac examen ab omnibus absolutum numeris exposcit. Quo fit, ut morborum praecipue chronicorum cognitioni et medelae medici juvenes, in primis saltem praxeos annis, saepe non sint pares.

Tunc vero diagnoseos impedimenta montium instar vix adscendendorum exsurgunt, si morbi causis atque ita etiam medela toto coelo inter se differentes in phaenomenis suis insidiosam mentiuntur similitudinem: Imagines has fallaces comparando adumbrare diagnostice hodierna nos docuit, de qua cl. Wichmann (h), Dreyfsig (i) et Schmalz (k) bene meruerunt. An inventum Bozzinii (l), quo cava interne recondita admoto lumine ita lustrari confirmat, ut mutationes eorum tam clare intueri possint, ac si manus anatomicae ope denudata oculo paterent, huc referri eademque

h) lib. citat.

i) Handbuch der medicinischen Diagnostik. Erfurt 1801.
Nec non ejusd. Handb. der Patholog. der chronischen Krankh. Leipz. 1796.

k) Versuch einer medicinisch-chirurgischen Diagnostik. Dresd. 1808.

l) Der Lichtleiter. Weimar 1807.

laude ornari debeat, forcillamus, cum experientia hucusque promissa haec sat ostenticia non probavit. Compendia therapiae specialis plurima similitudinum morborum quorundam fallacium nullam fere faciunt mentionem, aut brevissimo saltem sermone rem absolvunt. Omnium vero minime hanc similitudinem respexit *Browne* in systemate suo, quod tantis praeconiis atque fere immensis celebratum fuit, ac si res adfabre facta et liber esset librorum (m). Quin! imo, egregie monente *cl. Hufeland* (n), systema *Brownianum* non conscriptum est, ut diagnosis eo promoveatur, sed potius omnino deleatur.

Quodsi vero, ut experientia quotidiana confirmat, tot impedimenta diagnoseos in morbis iam occurrunt acutis, qui symptomatibus majoribus et sensibus nostris magis adprehensibilibus gaudent; quis mirabitur, ut morborum chronicorum cognitio causarumque eorum dijudicatio obstaculis gravioribus circum sit munita. Cognitionis hujus morborum chronicorum difficilius causae sunt:

m) System der Heilkunde, übers. v. Pfaff. Kopp. 1798.

n) Bemerkungen über die Brownsche Praxis. Tübing. 1799. S. 22 ff.

- 1) *Compendio hucusque therapeuticae specialis prorsus caremus, quod morborum chronicorum omnium descriptionem diagnosticam diligentem et sat copiosam continet. Quin formae morborum plures prorsus sunt omissae.*

Tantum a nobis abest, ut scripta veterum therapeutica specialia de hac negligentia reprehendamus, imo recentiores ipsos reticemus, V. G. cl. Loeseke (o), Cullen (p), Borsieri (q) etc. — Chr. Gottl. Ludwig (r) enim et R. A. Vogel (s) modo in usum praeflectionum suarum scripserunt — ut potius modo opera recentissimorum accusemus. Selle (t) quidem in praefatione brevitatem ac omissa compendii sui verbis excusat — „Lo-
 „calverfassung unsrer Anstalt im Charitéhause
 „ist es, die es mir zur Pflicht macht, meinen
 „besondern mündlichen Anweisungen und Ver-
 „ordnungen eine allgemeine schriftliche vorzu-

-
- o) *Therapia specialis interna u. s. w.* Dresden und Warschau 1761.
 p) *Anfangsgr. d. prakt. Arzneiwissenschaft.* Leipz. 1778.
 q) *Institution. medicin. practica.* Mediolan. 1784.
 r) *Institutiones medicin. clinic.* Lips. 1778.
 s) *De cognoscend. et curand. praecipuis corpor. human. affectib.* Götting. 1772.
 t) *Medicin. clin.* 7. Aufl. Berlin 1797.

„setzen, wodurch iene vorbereitet, erleichtert,
 „mehr bestimmt, besser verstanden
 „und genauer angewendet werden kön-
 „nen. Und in dieser Rücksicht habe ich ge-
 „sucht, alles das in möglichster Kürze zusam-
 „men zu fassen, wovon ich selbst practischen
 „Gebrauch mache und gemacht habe. Daher
 „die Lükken und Mängel, die ich lieber habe
 „blos stellen, als durch geborgte Lükken be-
 „decken wollen.“ *Compendium scriptum, cui
 scopus praefixus est, ut commentationem do-
 centis oralem magis definiat, intellectui
 clariorem reddat ejusque usum practi-
 cum promoveat, de eo sane omni iure de-
 siderandum erit; ut, quae ad usum practicum
 quam maxime faciunt, diagnosin perfec-
 tam puto morbi ipsius et causarum,
 fusius offerat et definitius, quam commentatio
 e cathedra aut ad lectos aegrotorum habita, cu-
 jus paupertatem vir venerandus in verbis prae-
 missis ipse fatetur. Vox enim — ut proverbium
 vetus in auditores Sellii quadrare liceat, quo-
 rum maxima pars chirurgi non eruditi, non in-
 genio praeclaro praediti, sed nil potius aliud
 erant, quam quod nomine „Routinier“ insignire
 consuevimus, qui eo magis distinctis praeceptis
 egebant — audita perit; litera scripta manet.
 Quam autem manca sint hoc respectu plura libri*

hujus capita e perlustratione ejus elucet. Cum compendium Sellii volvo et revolve et, quae casu mihi occurrunt, non laboriose electa, huc in medium profero, morborum formae sequentes, de quibus in compendio agitur, judicium nostrum confirmabunt: febris bullosa; tussis catarrhalis; hydrops articularum; vomitus cruentus; febris scarlatina; hydrops cerebri; Chorea St. Viti; morbi cutis (quo sub titulo exanthemata chronica intelliguntur); amaurosis; asthma; fluxus coeliacus; enteritis. Sed satis iam erit. Brevibus modo monere liceat, ut argumentum, quo omissa vir cl. excusare allaborat, amorem sui nimium redoleat et nulli profecto ponderis sit. Quam male igitur discentibus eo consulitur, si de nulla re alia instituerentur, nisi quam docens expertus est in praxi sua; cum ipsis medicis, qui in arte exercenda iam canuerunt, magna pars morborum in natura non obvenit.

Von Hoven (u) culpa versatur eadem. Ut tot omissa reticeamus (potissimum ex inflammationibus) quae si in scriptis omnibus nunc censendis singulatim enumerentur, modicum volumen forte implerent, adgredimur potius ea,

u) Handbuch d. prakt. Heilkunde. Heilbronn 1805.

quibus argumentis de manca diagnosi utamur. Quae cognitionem e. g. carditidos, enteritidos, hepatitidos, specierum diversarum colices, specierum asthmatis, haemoptoës, haematemeseos, haemorrhagiae uteri, vomitus, diarrhoeae etc. perfectam et non fallacem spectant, hoc libro incassum quaeruntur.

Multo minus consilii reperiet, qui librum **Obereichii** (v) evolvit. Vix enim caput unum et alterum merita quaedam habet de diagnosi; omissa sunt multa; omnia calamo perquam fugaci tractata et in mentem **Brownii** elaborata.

Progredimur ad **Heckerum** (x), qui postquam theoriarum in medicina, quarum enarratio in therapia speciali non expectatur, mentionem fecit ad nauseam usque verbosissimam, morbos potissimum chronicos, dignoscendo et curando febrilibus longe difficiliore, vix uno alterove verbo expedit (v. c. morbos spasmodicos, paralyses, species asthmatis, hydropes et cachexiae aliae, mor-

v) Handbuch der Heilkunst. Riga 1805.

x) Kunst, die Krankh. der Menschen zu heilen. Erf. 1804.
EjUSD. die Kunst, unsre Kind. zu gesund. zu erziehen
und ihre gewöhnl. Krankh. zu heilen. Erfurt 1805.

bos organorum digestionis, generationis et morbos cutaneos.)

De formis morborum nonnullis, scitu dignissimis, v. c. fluxu hepatico, lienteria, cardialgiae speciebus, peritonitide, quam, ubi de enteritide locutus est, sola nominis mentione dimittit, Pancreatitide, lymphangiitide, phlebitide, ossitide, angina pectoris, haemorrhoea petechiali multisque aliis, nec literam in toto legimus opere. Contra fere omnia, quae in „der Kunst, die Krankheiten des Menschen zu heilen“ de variolis veris et spuris, variolis vaccinis, morbillis, rubeolis, scarlatina, aphthisque longe lateque proposuit in „der Kunst, die gewöhnlichen Krankheiten der Kinder zu heilen“ ruminatur. Cum denique autor citatus ipse de therapia sua speciali desiderat, ut medicis junioribus filum sit Ariadneum (y), jure vituperandus est, qui alumnis suis filum neverit tam tenue ac lacerabile, ut eo usuri in labyrintho magis fortiter aberrerent, quam alii duce tali destituti.

Agmen claudat Joan. Christ. Stark (z),

y) Kunst, d. Krankh. d. Mensch. zu heil. in praefatione p. xiv.

z) Handbuch zur Kenntniss u. Heilung inner. Krankheiten.
Jena 1799.

vir et eruditionis fama et ingenio practico, et experientia lata insignis. Therapia specialis ab illo conscripta omnium absoluta videtur, ut morborum solum paucorum, qui desunt, descriptiones desiderantur. Sed brevitatis in adumbranda morborum phaemonologia, et potissimum neglectus ad fallaciam morborum similium respectus, operi merito laudabili non parum detrahunt utilitatis. Capita Voluminis secundi plura, quae monuimus, demonstrant. Opera therapeutica specialia cl. J. P. Frankii, S. G. Vogelii et Reilii, quae et hoc in respectu omnia vota adimplent, nondum sunt ad finem perducta; Therapia insuper Reilii nunquam pro dolor! absolvi potest, cum mors nuperime heu! nimis matura virum hunc aeterna memoria dignum et scientiis, quarum incrementum et perfectionem semper meditabatur, et amicis eripuit.

- 2) Scriptoribus nosologiae methodicae et pathologiae specialis in facie morborum diagnostica omnibus numeris absolute depingenda eadem fere negligentia crimini erit danda.

Quin! gravior illorum est culpa, cum phaemonologia diligenter collecta ad essentiam

nosologiae et pathologiae specialis jure pertinet. De Sauvages (a) opere voluminoso morbos in tot Classes, ordines, genera et species compescuit, tamen de multis diagnosin modo habet tenuem, indefinitam, imo fallacem, etsi alio respectu ab aliis prorsus neglecta et omissa refert. Nec non eo vituperandus erit, ut symptomata morborum in morbos ipsos nimis arbitrarie mutaverit, quo specierum, generumve multitudo unacum eruditionis suae fama accresceret. Qua de re non valde miraberis, si narante Reilio (nescio quo loco) expertus eris, Sauvages medicum fuisse tam parum practicum, ut urbe sua patria, Monte Pessulano, ubi habitavit, talem incolae eum vix nossent. Quae igitur lectione vasta ex aliis collegit, experientia propria rite aestimandi atque corrigendi occasionem non nactus est. Ratione longe breviori et macilentiori diagnosin morborum absolvunt Cullen (b), Linné (c), R. A. Vogel (d), Sagar (e) et Macbride (f); catalo-

-
- a) Nosologia methodica edid. Daniel. Lips. 1790. 8.
 b) Kurzer Inbegriff der medicin. Nosologie. Leipz. 1789.
 c) Genera morbor. definita. Upsal. 1765.
 d) Definitiones generum morbor. Goetting. 1764.
 e) Systema morbor. symptomaticum. Vindobon. 1785.
 f) Systematische Einleitung in die theoret. und prakt. Arzneikunst. Leipzig 1777.

gum denique nominum morborum simplicem secundum ordinem systematicum exhibuit cl. Ploquet (g).

Inter scriptores Pathologiae specialis modo recentissimos in medium protulisse satisfaciet. Joan. Chr. Guil. Junker (h) qui, ut titulus indicit, in usum modo auditorum suorum scripsit, aetiologiam morborum cum divisione systematica unice respexit, nec verbo quidem phaenomenologiae mentionem faciens. Sprengel (i) vir, cui eruditione pares perpauci tantum inveniuntur rei medicae scriptores, opus, de quo sermo est, e musei sui thesauris sat splendide collegit. Cum vero ipse medicinam non facit, imagines morborum ab illo depictas naturae non semper bene respondent atque addenda, rectiusque definienda multa relinquunt. Miraberis insuper, quod morbos plures non vilis momenti, e. g. epistaxin, prorsus omiserit. Superest cl. Henke (k), cujus quippe pathologia specialis quovis respectu operis classici no-

g) System der Nosologie im Umriss. Tübing. 1797.

h) Conspectus rerum, quae in patholog. medicinal. pertractantur. Halae 1789.

i) Handbuch der Pathologie. Leipz. 1795. Vol. II. et III. huc spectant.

k) Handb. der Pathol. Berlin 1806. Vol. II. et III. de Pathologia speciali agunt.

mine digna censeatur; dolendum vero id est, virum clarissimum nimio teneri amore, morborum numerum diminuendi, quo sit, ut formarum nonnullarum delineationes desideraberis.

3) In morbis chronicis medicus plerumque tunc primum in consilium vocatur, si malum iam eum ad gradum pervenit, ut multiplici modo complicatum sit, quo diagnosi ardua redditur et perquam difficilis. Talis enim est pathogeniae in morbis chronicis, testante Balkio (1), praeceptore, character insidiosus:

Ut causae illorum, suspenso gradu quasi furtim incedentes, non animadversae (quia simul incitabilitatem organorum, etsi nervis abundantium, plerumque torpidam reddunt) morbum ipsum magis magisque eam ad magnitudinem evolvant, qua vis demum reactionis excitatur et morbus qua talis tum ab aegroto, tum a medico percipitur.

Praeterea medicus aegrotantis curam gerens mox commutatur cum alio, quoniam aegrotus,

1) Beiträge zur demt. Erkenntniß u. gründl. Heilung einiger am häufigsten herrschenden langwierigen Krankheiten. Leipzig und Lilien. 2te Aufl. S. 6.

maxime si effeminatus nimiaque indulgentia corruptus, aut morosus est, priori diffidit rationemque sufficientem, e qua medela aut prorsus non procedit, aut progressus modo facit vix animadvertendos, medici imperitiae adscribendam esse opinatur (m). Quamobrem medico uno eodemque rarissime modo contingit, ut occasionem nanciscatur, morbum prima ab origine per totum decursum suum observandi, quod tamen ad diagnosin veram et definitam tanti facit.

- 4) Phaenomena morborum chronicorum sensibus medici non perquam patent, quin in perceptione aegroti ipsius subjectiva haud perspicue et valde ambigue sentiuntur.

Causae enim morborum chronicorum, ut jam cum Balkio monuimus, paucis exceptis, vitalitatem organorum debilitant, aut eo, ut facultas percipiendi adaucta facultatem reagendi longe superet, phaenomenorum diversissimorum tumultum corpori injiciunt, quo iudicium medici de vera morbi natura facillime perturbatur.

m) Balk l. c. S. 275 ff.

tur. Praeterea lenta horum affectuum genesis, evolutio et progressus, crebra formae externae sedisque mutatio, nec non cum malis aliis complicatio ad incertam sui dijudicationem conferunt. Neque minus diagnosi impedimenta inde accrescunt: ut origo geneseos causas agnoscat, quae longo iam abhinc tempore organismum offenderunt, non admodum fuere efficaces sed impetu tantum non cessante, aut concursu fortuito cum potentiis nocentibus aliis morborum istum efformarunt; ut phaenomena morbi praesertim modo ope caenesthescos percipiantur, quae sensationes clariores non admittit; ut causae frequentissimae viscera abdominis et organa processus vegetativae offendant, quibus consensus et sympathiae suae ubertate commercium est cum organis aliis iisque saepe remotissimis, quo sedes morbi valde incerta redditur et phaenomena ipsa constantia sic et sensationes ingratae praevalentes perspicue dignosci nequeunt; ut denique aegrotus adsensationes istas ingratas aut minime, aut nimis adtendat.

Quae hucusque de difficili morborum chronicorum diagnosi in genere disseruimus, ad morbos ventriculi nonnullos, ut dissertationis inscriptio pollicetur, transferamus liceat. Ne vero, quae scriptiunculae nostrae positae sunt, limites transcedamus, de diagnosi modo haec

matemeseos et scirrhi ventriculi
pauca fari decrevimus.

I. De diagnoseos morborum ven- triculi difficultatibus in genere.

Magnam ventriculi functionumque ejus in statu sano dignitatem cognoscentes negare non cupient, in morbis etiam, non tantum organorum abdominalium, sed omnium potius corporis partium ad ea potissimum esse respiciendum, quae viscus hoc agat, aut patiatur. Primum quidem est et principale restorationis organon, a quo virium vitalium modulus, mixtionis materiae organicae processus, remediorum artis recipiendorum moderamen, quam tot ad morbum devincendum pristinamque restituendam sanitatem conditiones necessariae pendent. Cum magno praeterea nervorum numero, fibris muscularibus atque sanguinis per eum ambientis copia haud parva insignis sit ventriculus, fidem nostram historicam facile forcillabis, si de diagnoseos ambiguitate in morbis intestinum hoc infestantibus conquesti sumus. Quae dicta vero non solum nuda experientia comprobari, sed argumentis etiam theoriae rationalis haud aegre possunt explicari. En impedimentorum causas,

quae diagnosin morborum ventriculi non raro valde reddunt difficilem.

- 1) Per magnus inest ventriculo consensus atque sympathia insignis cum plurimis aliis corporis partibus, ope nervorum suorum, vasorum, nexus denique immediati et mediati.

Membranis ventriculus immediate cum peritonaeo cohaeret, cujus lamina tenuis viscus illud circumvestiens tunicam ventriculi externam constituit; omentum minus arcui minori ventriculi adnectitur aut potius e portione peritonaei hunc arcum cingentis oritur; aequali ratione ab arcu majori descendit omentum majus. Tunica visceris nostri propria s. nervea (inepte sic dicta) non nisi continuatio est tunicae oesophagi ejusdem nominis, haec vero e cute externa oritur, quae nares intrat easque cum cavo oris vestiens ad oesophagum descendit. Inter quatuor ventriculi tunicas tria telae cellulosae strata reperiuntur, quorum mentionem huc facere instituti nostri ratio eo magis jubet, cum in strato celluloso secundo, quod tunicam carneam cum propria stomachi connectit, sedem scirrhorum, indurationum tumorum-

que aliorum visceris hujus semper animadvertimus. Vinculis porro membranaceis ventriculus immediate cum duodeno, mediate cum reliquo intestinorum tractu, mesenterio ceterisque in cavo abdominis scatentibus visceribus, nec non cum diaphragmate connectitur. Nexus ventriculi arteriosus non minus est multiplex. Cohæret enim cum toto arteriarum systemate per arteriam suam coronariam majorem, ramo coeliacæ, quæ immediate e trunco aortæ descendens oritur; cum hepate per coronariam minorem et gastroepiploicam dextram et hepaticam venientibus; cum liene per gastroepiploicam sinistram et per arterias breves, splenicæ ramulis. Venarum ejusdem nominis idem est ortus et nexus, quæ omnes demum in venam portarum effunduntur; quæ igitur nexum ventriculi per vasa etiam cum visceribus reliquis demonstrant. Ventriculi insuper vasorum ope cum systemate venæ portarum et cum liene commercium ad ortum vomitus cruenti rite intelligendum valet. Vasa non minus resorbentia numerosa in tunicis ventriculi serpunt, et in ductum denique thoracicum transeunt. Superest, ut nexum per nervos adhuc clarius explicemus. Nervus

decimus, s. vagus, cui Winslovius iam nomen „sympathici medii“ dedit, ob multiples suas cum organis variis consociationes, plexum anteriorem et posteriorem gastricum ad ventriculum dimittit, qui ope hujus nervi cum arteria carotide cerebri, pulmonibus, corde, trachea, larynge, pharynge, aesophago, hepate, pancreate, liene et, si remotiorem adhuc nexum quaerere cuperes, etiam cum nervo accessorio et sympathico magno omnibusque organis, quae a nervis his accipiunt ramulos, immediate cohaeret. Nervi etiam splanchnici e plexu suo coeliaco s. solari singularem ad stomachum dimittunt plexum, qui hanc ob causam plexus gastricus superior s. coronarius ventriculi vocatur et commercium organi hujus cum diaphragmate, renibus aliisque visceribus abdominis confirmat. Nervi splanchnici ipsi e nervo sympathico magno oriuntur. Memorabile insuper est et ad diagnosin morborum nonnullorum ventriculi melius explicandam multum valet — ut superior ventriculi pars, qui ad oesophagum tendit, nervis sit abundantior eoque sensibilior, quam pars inferior, potissimum portio curvaturae majoris, quae pyloro est proxima; in

qua nempe regione inferiori, ut postea observatis demonstrare allaborabimus, scirrhus ventriculi saepissime sedem sibi figit.

Nexibus sic magnis et multis facile intelligitur, ut, secundum leges consensus, incitamenta morbosa, quae ventriculo ipsi insunt aut primitus in illum operantur, negotio sad facili ad organa longe alia remotaque reflecti et ab his percipi possunt ac sentiri, quibus omnibus iudicium medici fallax nec non diagnosis valde difficilis redditur.

- 2) Situs ventriculi medicum impedit, quin conditionem hujus visceris sensibus propriis rite possit examinare.

Musculi enim abdominales, adeps, peritoneum tot sunt intermedia, quae examen per sensum tactus institutum ratione multiplici incertum faciunt, imo prorsus fallax. Ventriculus tactu graviori recedit. Tot impedimentis circumdatus, profecto non miraberis, ut medicus organica ipsa hujus visceris vitia, nec manu quidem, nedum iudicio, certe dignoscere saepissime nequeat. Cognitio affectuum stomachi non desorganisatione ejus notatorum, cum chronici sunt, multo magis fallunt, ita ut sae-

pissime nescias, an idiopathica sit passio, an modo symptoma aegritudinis illius. Quin etiam acutissimi morbi huic organo insidentes — v. c., quod vix credideris, inflammatio, quae, ut ajunt, cognitioni phaenomenis suis tam clare patet — interdum ita dissimulantur, ut medicum sagacissimum fallant. Dicta relatis probeamus autorum, penes quos fides semper historica fuit. Cl. de Haen (n) puellam vidit xxi. annorum, quae irregulari catameniorum fluxu semper laborans, ante annos iam duos suppressionem mensium perfectam, ante annum vero morbum pectoris acutum perpessa erat, semper praeterea de tussi et cephalalgia conquerebatur, denique febre valida fuit correpta, quam tussis rauca, respiratio brevis et laboriosa, dolor pectus premens et dolores in artubus comitabatur. Vomuit septies totidemque habuit dejectiones alvinas. Pulsus durus erat et celer; oculorum motus spasticus. Vena quater secata unciarum duae priores arcu sanguinis solito effluebant, septem aut octo reliquae guttatim modo stillabant. Sanguis in venaesectione secunda, tertia et quarta crustam, quam vocant pleuriticam, monstrabat. Primo solum die, quo nosocomium

n) Heilungsmethode, mit Anmerk. von Platner. IVr Bd. Leipz. 1782. 9r Tbl. 18 Kap. §. 4.

adierat, vomuit, posthaec nec de nausea quidem levissima querebatur, cibos potius et potum largiorem cum adpetitu et ulla sine molestia devoravit. Die quinto mortua est. Corpore dissecto hepar tumidum magna pro parte in hypochondrium sinistrum imminebat; lien omnino dissolutus, ventriculus magnitudine valde excedens, ad pylorum usque in saccum amplitudinis aequalis expansus, inflammatus, imo iam sphacelo correptus; pulmoues inflammati et nodosi.

Cl. Morgagni (o) casum a Valsalva observatum memorat. Vir nobilis, annorum circiter quadraginta, qui vel sanus tantae erat alvi duritiei obnoxius, ut non nisi artis ope exoneraret, in febrem incidit, nullo alio stipatum symptomate, nisi quod aeger de adsidua animi inquietudine et de vigiliis perpetuo conquerebatur. Decimo quarto morbi die vitam cum morte commutavit. Ventriculi fundus atro erat colore infectus; intestina praesertim crassa, angusta erant; cetera ventris viscera sana; sanguis valde concretus.

o) De sedibus et caus. morbor. etc. Ebrodun. 1779.
Tom. III. Epist. 49. §. 14.

Exempla ejusdem argumenti adferunt cl. Hufeland (p), de Haen (q) et alii (r).

Iu omnibus casibus dolor urens et vomitus, a qualibet re, etsi in copia perquam parva deglutita, statim oriundi, quae ab omnibus autoribus uti signa gastritidos pathognomonica praecipua laudantur, deerant.

- 3) Sensationes iniucundae, quas aeger modo ope caenestheseos suae percipit quibusque de abnormi conditione ventriculi primum edocetur, indole sunt atque gradu ita multiplices, ut unam ab altera bene distinguere medicoque definite describere nequeat.

Tantum vero abest, ut descriptio manca et ambigua iudicium medici de sede, natura et causis morbi dirigere valeat, quin illud potius

p) Neueste Annalen der französischen Arzneikunde. Leipz. 1791. 2r Bd. S. 30 ff.

q) l. c. 6r Thl. 6s Kap. S. 181.

r) Samml. auserles. Abhandl. für prakt. Aerzte. 14r Bd. S. 453 und 15r Bd. S. 631. — Max. Stoll Heilmethode u. s. w., übers. v. Fabri. III. Th. II. Bd. S. 149 ff. und an andern Stellen. — C. G. G. Kade D. de morbis ventriculi ex mater. animal. mixtura formulae laesa explicandis. Hal. 1798.

decipiat et perturbet. Hae vero sensationes eas ob causas ad claram mentis conceptionem et cognitionem non perveniunt, partim quod mirabilis ventriculi cum tot organis aliis magnitudinem impressionis nimis dividat eoque debilitet, quo, cum organon quaecunque ratione sibi propria impressiones has sentire inque illas reagere consuevit, e tot sensationum diversarum uno eodemque tempore conceptarum multitudine, iudicium mentis quoad claram earum cognitionem quam maxime disturbetur, oportet; partim quod cognitiones e caenesthesi semper natura sua sint obscurae; partim quod lingua vocabulis careat, quibus species dolorum sensationumve tam valde differentes distincte possit ac perspicue depingere. Quantumne differt ratione sensus, quem movet, dolor premens ab constringente, expandente, inflativo, rodente, pungente, pulsante, lacerante, stupefaciente et quae sunt ceterae illius varietates!

- 4) Multitudo causarum morbigenarum, quibus ventriculus est obnoxius, impedimenta diagnosi nova machinantur.

Variae alimentorum quantitates et qualitates, quarum, quam diversa sit in morbis producendis efficacia, fac e pathologia generali

memineris; medicamentorum, veneorum, rerumque aliarum insolitarum ingestio; arthritis anomala et retrograda; refrigeratio topica; violentiae externe; vestimenta nimis angusta; herniae ventriculi; dislocatio hujus visceris connata aut acquisita; viscerum vicinorum morbi varii; excretionum normalium aut advetarum suppressio; plethora abdominalis; metastases; pathematum variorum nec non affectuum nervosorum aliorum impetus; quaestus peculiaris injuriae non avertendae etc. etc. etc. En ingentem causarum catalogum, quae ventriculum infestantur, quarumque singula quaevis ratione saepius alia visceris hujus sanitatem pervertit. Quodsi casu plures illarum simul machinam hostiliter adgrederentur, non deeris profecto, quin concedas, necesse sit, ut turba exinde oriatur, quae artem dignoscendi quam maxime infenset et incertam faciat.

Praemissis sic, quae praemittenda erant, ad diagnosin haemateseos et scirrhorum ventriculi peculiarem progredimur, ad quam via trita nobis nunc patet.

Sequitur tentamen diagnoseos vomitus
cruenti.

Diversis morbus iste nominibus insignitur:
Haematemesis, Oesophagorrhagia,

Gasteorrhagia, Gastrorrhagia, Melæna, morbus niger Hippocratis, fluxus splenicus; ab Anglis Vomiting of Blood; a Gallis Vomissement de sang; a Belgis Bloed - Braaking; germanice das Blutbrechen, die schwarze Krankheit, die schwarze Gallenruhr, melius die Blutung des Speisekanals. Cujus morbi sub idea complectimur — hæmorrhagias vasorum tubi intestinalis totius, exceptis vasorum hæmorrhoidalium, quæ vomitu sanguinis puri et fluidi, aut grummosi, corrupti aliisve materiis mixti, dejectioneque earundem materialium alvina, ut phaenomenis essentialibus et constantibus gaudent. Perraro tantum dejectiones alvinae cruentae in hoc morbo desunt.

Morbi hujus imaginem, si à scriptoribus definitam leges atque depictam, miraberis profecto, ut vix unquam dubium in ejus diagnosi possit oriri, cum et morbi nondum evoluti signa prodroma tanta fiducia indicantur. Sed in eo iam medici differunt inter se, ut alii vomitum cruentum à melæna s. morbo nigro ratione naturæ ejectorum toto coelo diversum esse putent, alii ægritudines has gradu distinguant, iterum denique alii nominibus ambobus sicuti synonymis utantur. Nec phaenomena prodromistica ad

raucitatem usque saepius celebrata medicos sa-
 gacissimos ab erroribus diagnosticis committen-
 dis satis defendunt, cum saepe prorsus desunt,
 aut ita latent, ut ambiguas modo permittant
 opiniones. Egregie cl. Vogel (s) monet: „Die
 „Vorboten des Blutbrechens haben oft mit den
 „Zeichen eines zu Brechnitteln einladenden
 „verunreinigten Magens so viele Aehnlichkeit,
 „daß der Arzt, der den Unterschied entdecken
 „will, wahrlich sehr genau alles erwägen und
 „vergleichen muß, um den im Hinterhalte ver-
 „steckten gefährlichen Feind aufzuspüren. Ewig
 „erinnerlich bleibt mir der Fall eines jungen
 „Frauenzimmers, das über Uebelkeit, Angst,
 „Drücken und Schmerz in der Herzgrube, übeln
 „Geschmak, Mangel an Eslust, Durst und meh-
 „rere solche Zufälle klagte und das bei den-
 „selben Umständen schon oft mit Nuz-
 „zen und schneller Hülfe ein Brech-
 „mittel genommen hatte. Ich danke
 „Gott, daß mich diesmal der Umstand, daß
 „gerade die Periode ihrer monatlichen Reini-
 „gung bevorstand, furchtsam machte und be-
 „wog, ihren ganzen Zustand von allen Seiten
 „auf das genaueste zu prüfen. Durch vieles
 „Hin- und Herfragen brachte ich end-

e) Der Krankenexamen. S. 21 ff.

„Ich noch heraus, daß sie ein besonderes
 „Brennen und Klopfen in der Magengegend
 „fühle, daß die ihr sonst vor dem Eintritte des
 „monatlichen Geblüts gewöhnlichen Rücken-
 „schmerzen von da sich nach dem Magen gezo-
 „gen hätten und daß überhaupt alle Spuren der
 „bevorstehenden Reinigung, seitdem sie die
 „Angst und Uebelkeiten gespürt hätte, ver-
 „schwunden wären. Auf der Stelle schickte
 „ich zu einem Chirurgus, der ihr zur Ader las-
 „sen sollte; aber ehe er kam, stürzte ihr
 „das Blut aus dem Magen. — Wie viele
 „Aerzte hätten in unsern emetischen Zeiten die-
 „sem Mädchen wohl nicht ein Brechmittel ge-
 „reicht?“ Quodsi Vogel, vir tantae eruditio-
 nis, experientiae, ingenii perspicacitate atque
 providentiae fatetur, parum modo abfuisse, ne
 in errorem incidisset periculosissimum, quid
 est, quod de medico minus sagaci et adtento
 non verebaris! Opus igitur est examine dili-
 gentissimo et quam maxime perfecto, ipsis etiam
 in casibus, qui, primo intuitu primaque aegro-
 tantis narratione molestiarum ex valetudine ad-
 versa redundantium, solis luce clariores patere
 videntur. Cl. Morgagni simile exemplum re-
 fert: faber ferrarius mane domo egreditur, cum
 perlevi stomachi dolore; quo postea gravissimo
 facto homo ex ore ejicere humorem incipiens.

atramenti simillimum; ante vesperam moritur (t). Quis, quaero, medicorum e levi tantum praecordiorum dolore instantem vomitum cruentum letiferum praesagire potuisset? Neque minus memorabile hujus rei argumentum casus offert, a praeceptore venerando, cl. Balk, non longo abhinc tempore in praxi sua observatus. Vir XLVI annorum, qui semper bene valet, motibus corripitur febrilibus, qui, incredibili celeritate aucti, post trihorium in anxietates enormes, et iterum hora vix praeterlapsa in vomitus fere innumerabiles abibant, quibus tum sanguis grummosus, tum fluidus, tum materia sedimento potus coffeae non absimilis, tali quantitate ex ore ejiciebatur, ut quantitas intra biduum libras circiter duodecim pependit. Tamen usque ad momentum febris incipientis, vir iste cibos quam maxime adpetebat, nec ullo post epula sensu ingrato in praecordiis aut abdomine vexabatur.

Diagnosis haematemesos eo difficilior red-
ditur, quo magis multae hujus morbi causae ita
plerumque sunt reconditae, ut nullo fere phaenomeno clariori et certo tum judicio medici,
tum sensui aegroti ipsius, praesentiam suam
prodant; quas inter potissimum anevrismaticas

1) De sedib. et caus. morbor. Epistol. XXX. 16.

et varicosas vasorum expansiones abnormes nominasse liceat. Impedimentum diagnoseos maximum in eo, me hercule, positum esse videtur, ut morbus iste statim ab ineunte causa characterem sibi servet asthenicum, seu passivum, cum vix non semper sub genere typhi aut paralyseos (vocabula haec technica in sensu cl. Reil et Henke sumta) occurrat.

Nulla vero ratione dubitamus, fore inter lecturos, qui, de sola incertae diagnoseos nostrae argumentatione non contenti, scire cuperent: an nulla sint phaenomena, quarum ope instantem haematemesin cum aliquo saltem certitudinis gradu medicus praesagire posset? Et his, quantum modo viribus inest, satisfacere decrevimus. Vomitus cruentum, qui ex hepate vel liene obstructo oritur, sequentibus signis prodromis nuntiari, M. Stoll (u) exhibet. Aeger de sensu pulsationis, doloris, ardoris, tensionis in hypochondriis queritur; alvus est strictus, facies et cutis peripherica colore sordido-flavescente maculata est, uti in hypochondriis, sic in regione etiam umbilicali pulsationes sentiuntur; aeger adscensum aut quasi ebullitionem sanguinis ex hypochondriis ventriculum versus animadvertit. Phaenomenologiam hanc multis

(u) Heilungsmethod. VI. Th. I. Bd. S. 52 ff.

ex observatoribus collectam esse, Stoll ipse fatetur. Neque melius a cl. Tissot (v), Marcand (x) et Kaempf (y) de signis pathognomonicis edocemur, etsi omnes de morbo nostro plurima verba fecerunt. Multo uberiores vero symptomatum prodromorum catalogum cl. Balk cum auditoribus suis communicavit, quem, pace praeceptoris laudati, publici juris faciam, cum ad clariorem certioreque morbi diagnosin conferre videtur.

„Haematemesin“ — haec sunt Balkii verba — „plerumque nonnulla, aut plura, phaenomenorum sequentium praecedunt: anorexia, „quin nausea omnes cibos respuens, quia ab „quovis ingesto ingrata ventriculi sensatio cietur, scilicet sensus plenitudinis, pressionis, „ardoris, pulsationis, puncturarum momentaneorum, vomiturationis, anxietatis circa praecordia aut in regione hypochondriaca sinistra, „quae regiones etiam non solum tactu, sed flexione etiam in latus sinistrum, plus minusve „dolent; praecordiorum aequae ac hypochondriorum tensio; cardialgia frequens sine ulla,

v) Epistol. ad Zimmermann de morbo nigro etc.

x) Beschreibung von Pymont. II. Bd. S. 47 ff.

y) Abhandl. von einer neuen Methode, die Hypochondrie zu heilen. Leipzig 1786.

„aut post levissimam tantum causam orta —
 „quae sensationes ingratae non transitoriae, sed
 „permanentes sunt graduque modo inter se dif-
 „ferunt. Accedunt insuper ructus frequentes
 „ut plurimum dolorosi; singultus crebriores;
 „propensio ad alvum obstructum; neque minus
 „systema nervosum et vasculosum sat cito con-
 „sentit, quod susurrus aurium, vertigo, palpi-
 „tatio cordis, horripilationes, frigor manuum
 „et faciei, deliquia animi, diathesis melancho-
 „lica testantur. Color faciei plerumque palli-
 „dus, luridus; oculi nubili; circuli coeruleo —
 „lividi circa palpebram inferiorem; pulsus de-
 „bilis, spasticus, inaequalis; urina turbida aut
 „aquosa; somnus inquietus, somniis atrocibus
 „interruptus. Foeminae, quas vomitus cruen-
 „tus e catameniis suppressis adgreditur, inter-
 „dum aliquod tempus ante haematemesisin de sa-
 „pore sanguineo in ore queruntur. Cum ejus-
 „modi aegrotos nausea vexat, saliva adfluit mu-
 „coso — austera, aut dulcamara. Interdum nau-
 „sea in famem caninam subito transit, quam
 „boffa prima non explet solum, sed sensationes
 „ventriculi ingratas antea descriptas etiam au-
 „get. Tantum enim abest, ut fames ista cibos
 „solites adpetat, ut potius ad devoranda allotria
 „impellat. Non raro haematemesisin per tempus
 „aliquod vomitus praecedat, quo cibi, mucus,

„aqua, sed ne guttula quidem sanguinis, eji-
ciuntur.“

II. De diagnosi difficili scirrhi ventriculi.

Paucae modo in ambitu totius medicinae reperiuntur notiones, de quibus tanta constat inter autores dissensio, ac de scirrho. E re fore igitur existimavimus, ut nostram hujus vocabuli definitionem praemittamus. Sub nomine scirrhi scilicet intelligimus — degenerationem partis cujuslibet in tumorem plus minusve durum, inaequalem, vix artis ope unquam dissolubilem, in initio saltem sub cute mobilem, ad inflammationem occultam pronum, qua facili negotio in ulcus pessimum canerosum mutatur. Quametsi cl. Richter (z) aliique, qui verba viri magni serviliter repetant, contendant, ut tales etiam partes in scirrhum abire possint, quae omnino glandulis careant, tamen vix ulum legimus scirrhi exemplum, in quo pars scirrho obsessa alia fuisset, quam quae glandulis potissimum conglomeratis, aut vasorum saltem lymphaticorum divitiis gaudebat. E viscerum numero nullum ventriculo frequentius scir-

z) Anfangsgründe der Wundlarzneikunst. I. Ed. §. 425.

his corripit, innumerabiles fere, quae exstant, observationes testantur.

Sed praeter scirrhum aliis quoque morbis organicis stomachus quam maxime est obnoxius: incrassantur enim ejus tunicae, vertuntur in massam cartilagineam, aut in lipomata; variae hujus visceris regiones, potissimum prope cardiam et pylorum, coarctantur. Quaelibet degenerationum allatarum species propriis phaenomenis notatur pathognomonicis, quae omnia vero nunquam, aut perraro tantum, distincte perfecteque animo aegroti vel medici concipiuntur. Quo fit, ut saepe saepius ejusmodi morbus per longum tempus medico lateat et tunc primum pateat, si ad talem gradum iam evehctus sit, cui nulla amplius medendi spes affulget. Sic Morgagni (a) virum vidit quinquagenarium, saepe ebrium et bono appetitu gaudentem, eatenus sanum, nisi ut interdum de quavis molestia queri consueverit, cujus sedem manu epigastrio imposita ad cordis scrobiculum designabat. Is igitur, cum tres ante obitum menses in nosocomium venisset propter febrem tertianam continuam, hac cessante, obnoxius fieri coepit alimentorum vomitionibus, quae, tempore aliquo intermisso, redierunt iterum,

a) Epistol. LXX. 5.

nec postea ad vitae usque finem defierunt. In nosocomio non de ventris tumore, aut dolore conquestus est, nec pulsus, praeter aliquam nonnunquam intermissionem habuit aliquid, quod peculiariter displiceret. Mortui denique cadaver cum inspiceretur, diaphragma in centri sui, ut vocant, nervei parte dextra factum fuit osseum. Ventriculus insolita in sede, et mira longitudine atque inflexione spectaculum praebuit inusitatum. Incipiens enim ubi solet per sinistrum ventris latus recta ad pubis usque os se extendebat, inde autem se reflectens sursum ac dextrorsum, in duodenum intestinum desinebat. Ventriculo aperto pylori annulus in duas tresve, non magnas quidem, sed duras protuberantias quasi divisus adparuit. Dura erat etiam ventriculi pars pyloro proxima ad spatium bini transversi digiti, crassioribus factis ibi tunicis et ad osseam duritiem accedentibus, non tamen re vera osseis, neque eam partem coarctantibus, sed, quod flexiles minus essent, alimenta in duodenum intestinum satis compellere non valentibus. Tantam degenerationem non paucis ante mortem hebdomadibus, cum febre aeger vexabatur, ortam esse et evolutam, sed longe antea, cum vir iste bene valuit, iam adfuisse, neminem fore credo, quin consentiat. Tamen, si levem praecordiorum molestiam ex-

cipias, de nulla tunc temporis molestia aeger querebatur.

Bertheau (b) virum novit lxxii annorum, potuum spirituosorum amatorem, qui modo de sensu gravitatis in ventriculo querebatur, purgantibus atque emeticis fere semper levato. Ultimis modo vitae mensibus doloribus dorsi nauseaque excruciabatur et inopinate morte subitanea obiit. Dissecto cadavere ulcus scirrhorum in ventriculo deprehensum est. Chambon de Montaux (c) in ventriculo vetulae, febre lenta interfectae, quae nec dolore hujus visceris, nec vomitu, unquam afficiebatur, scirrhum in regione pylori detegit, qui iam in cancerum apertum abiit. Plura ejusdem argumenti exempla, quibus difficilis scirrhorum ventriculi diagnosis probatur, recitebo, quae apud Schenkium (d), Bonetum (e) et multos alios scriptores legi possunt.

Interdum totus fere stomachi ambitus scirrhus obsessus reperitur; plerumque tamen mor-

b) Medical Communications. Lond. 1784. Vol. I. No. 28.

c) Merkwürd. Krankengeschichten und Leichenöffnungen. Leipzig 1791. — Bemerkung. CXCVI. S. 558.

d) Observation. med. rar. Fcft. 1600.

e) Sepulchret. Lib. III. Sect. IV. Observ. 21 squ.

bus iste regionem circa pylorum, aut pylorum ipsum occupat. Scirrhus visceris hujus saepissime modo in aetate proveciori nascitur, multo rarius in foeminis ac in viris, et quidem potissimum potatoribus. Attamen vitium hoc organicum non semper ebrietatem causam agnoscit principalem, cum haec tantum causae occasio-
nalis munere fungitur, qua praedisponens quaedam evolvitur. Si forte mireris, ut organon tot nervis praeditum, tanti morbi signa non edat clariora, memineris, quaerimus, ut scirrhi ipsius genesis vitalitatem ventriculi unacum sensibilitate sensim sensimque debeat et tali modo cognitionem mali tum subjectivam tum ob-
jectivam, mirum reddat in modum difficiliorem. Inquisitio externa per integumenta abdominalia, ut iam in sectione hujus dissertationis prima monuimus, non minus fallax est et ambigua. Ad-
das denique, ut ventriculus non raro mirum in modum extensus sit, quo diagnosis eo magis impeditur (f). Denique diversa scirrhi ventri-
culum occupantis sedes diversa etiam phaeno-
mena edit, quae tot diagnoseos certioris impe-
dimenta habeto.

f) A. v. Haen Heilungsmethode, übers. v. Plattner.
III. Bd. §. 4. S. 12 ff.

Sequuntur quaedam ad phaenomenologiam scirrhi ventriculi constantem spectantia.

Scirrhus ventriculi, monente Charles Bell (g), ejectione sanguinis fuscii per vomitum indicatur, quod tamen signum inter pathognomonica referendum esse jure dubitamus. De Haen (h) symptomata scirrhi huius sequentia quasi certiora refert: antecedentem ventriculi inflammationem, quae nec resolutione perfecta, nec alia crisi judicata est; diurnitatem mali, quod remedia contra exquisitissima rebelle perseverat; vomitus frequentiores durante digestionis tempore; sensus gravitatis dolentis constans in ventriculo; levamen hujus sensationis simulac ventriculus extrinsecus comprimitur; inquisitio hujus visceris opere tactus; digestionis et exonerationis alvinae vitia varia.

Wichmann (i) phaenomenologiam scirrhi ventriculi diagnosticam ita adumbravit: non longe post ingesta nutrimenta, saltem inter horarum paucarum spatium, aeger de vomitione queritur, cui vomitus ipse pedissequus est,


g) System of dissections explaining the anatomy of the human body. Edimb. 1799. Vol. I.

h) l. c. §. 3. pag. 10 sequ.

i) Id. u. zur Diagnostik. I. Bd. §§. 44. 45.

quo mucus pultiformis, plerumque acidus, non raro ingestis intermixtus, ejicitur. Adest simul dolor constans obtusus et premens in regione praecordiorum. Quo longius malum iam duraverit, eo frequentius vomitus iste aegrotum adgreditur, ita ut ingesta omnia ejiciantur.

Denique respectus ad causas praecedentes quæ ortui hujus scirrhi secundum experientiam omnium medicorum prae aliis ansam praebent, respiciendum erit, si diagnosin certiore tibi parare velis. Quas inter causas praecipuas numerandae sunt: abusus potuum spirituosorum, acidorum mineralium, potus frigidissimi post exaestuationem, violentiae externae in ventriculum directae et potissimum pressura constans externa in regionem praecordiorum.



T h e s e s.

I.

Natura virium vitalium generatione aequivo-
ca primum diligenter observata erui
potest.

II.

Vis nervorum sentiendi et movendi non, ut
dicunt, diversis in partibus nervi ejusdem
erit quaerenda.

III.

Morbi epidemici ratione aëris chemica in-
ter se differunt.

IV.

Naturae vires in morbis eaedem sunt, ac in
sanitate.

V.

Calculi tum quoad genesin, tum quoad ma-
teriam, cum tophis podagricis conve-
niunt.

92-45-

VI.

Dentitio difficilis saepius est morbus universalis.

VII.

Exanthemata ab initio semper statum cutis inflammatorium habent comitem.

VIII.

Morbi a symptomatibus male denominantur.
